*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 91-80081-5*

*AUTHOR:* LIEBALDT, H.

*TITLE:* DE L. PISONE, ANNALIUM....

*PLACE:* NAUMBERG

*DATE:* 1836

Master Negative #

91-80081-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Liebaldt, H
...De L. Pisone, Annalium scriptore, von Dr. H Liebaldt... Naumberg, Klaffenbach, 1836.
15 p. 30 cm.

At head of title: Zu der öffentlichen prüfung sämmtlicher classen des Domgymnasiums zu Naumberg..


Volume of Pamphlets




Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


**Association for Information and Image Management**


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter




Inches




MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ZU DER

# ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

## SÄMMTLICHER CLASSEN

### DES DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG

AM 21. 22. 23. UND 24. MÄRZ 1836

LADET ERGEBENST EIN

*Dr. FÖRTSCH,*
*RECTOR DES GYMNASIUMS.*

---

INHALT:



---

NAUMBURG A/S.
GEDRUCKT BEI K. A. KLAFFENBACH.
1836.

# L. Calpurnius Piso.

**L.** Calpurnius L. F. C. N. Piso Frugi, (ortus ex gente Calpurnia[1]) plebeia quidem sed consulari, cf. Ind. ad Pigh. Ann., ex qua plures iam ante eum ad summos honores pervenerant, cf. Fast. Consular. ad ann. 574. 606. 615. 619. et Pighii Annales.) annalium latine scriptorum auctor, tum litterarum laude, tum rerum gestarum splendore virtutibusque omnis generis excelluit. Quando autem natus et quo L. Pisone patre usus et qua ratione educatus sit, omnino non constat; nec ausus sum in patrem maioresque eius inquirere, ideo, quod non modo gens Calpurnia, sed Pisonum[2]) etiam familia tum temporis, quum ille vixit, (natus est anno circiter DLXXX. p. U. c.) frequentissima fuit, ita ut eodem iure, quo hos vel illos nominarem, alii aliis placere possent.[3]) Ne amplius igitur in rebus ambiguis immorer ac vanis, cuiusmodi sunt, quas modo tetigi, ad certa statim accedere iuvat et aliquanto graviora: in quibus enumerandis eum tenebo ordinem, ut primo loco quae munera Piso administraverit et quae in iis gesserit exponam; tum quae praeterea de eo cognita habeamus collocem; postremo annalium, quos confecisse fertur, naturam fidemque et consilium, quo illos scripserit, pro virili parte expediam.

Est autem, si Catonem Censorium exceperis, inter annalium auctores nemo, de cuius vita tam multa memoriae prodita sint, quam de Pisonis, ac quem toties rempublicam capessivisse sciamus; anno enim p. U. c. 600. (Varr.) quaestor provinc. fuit, cf. Pigh. Ann. II. pg. 430.; tribunus pleb. a. 605., Pigh. II. pg. 447.; aedilis pleb. a. 609., Pigh. II. pg. 463.; praetor a. 614., Pigh. II. pg. 483. Siciliamque provinciam sortitus obtinuit a. 615.,

[1]) Quae gens a Calpo, Numae filio, cf. Plutarch. Num. c. 21. et S. Pompon. Fest. v. Calpurni Tom. I. pg. 36. ed. Lindem. cf. II. pg. 366. originem suam trahebat; ideoque etiam Horatius in Art. Poët. v. 292. Pisones *Pompilium sanguinem* vocavit.

[2]) Ita cognominati sunt a pisendo, cf. Plin. N. H. libr. XVIII. s. 3.; neque id solis Pisonibus factum est, ut ex rebus rusticis cognomen invenirent, cf. praeterea Plin. libr. XIX. s. 19, 3. et Plut. Quaest. Rom. 41. extr.

[3]) Pighius Ann. II. pg. 430. „*Avum habuisse colligimus*, inquit, *ex annorum spatiis C. Pisonem, qui praetor urbanus anno DXLII. fuit, Livio teste libr. XXV. fine. De patris magistratibus nihil reperio.*“ Rupertius Tabb. Genealogg. pg. 41. avo praenomen Lucio indit.

cf. Pigh. II. pg. 488.[1]); ei consuli, quem magistratum habuit a. 621., Pigh. III. pg. 3., Si-
cilia et bellum cum fugitivis obvenit; censor denique cum Q. Caecilio Metello Balearico a.
634. creatus est, Pigh. III. pg. 74. Quamquam enim hoc anno L. Pisonem Frugi censuram
tenuisse, nemo veterum aperte tradit, tamen quum is, ut infra videbimus, haud raro Censo-
rius appelletur, nec alius, cui censorem eum adscribere liceat, annus effici possit, Pighii
coniectura satis magnam prae se fert veri speciem.

Haec de magistratibus; transgrediamur ad res, quas gessisse Piso dicitur. Et Pighius
II. pg. 430. sq., ubi de quaestura illius provinciali sermo est, inde, quod plurimi nummi
cum nomine tali „L. PISO FRUGI.“ ex aere, argento auroque, variis notis insigniti inve-
niantur: *„rem monetariam Romae vel in urbana quaestura, vel alio extra ordinem in ma-
gistratu prudenter et frugaliter admodum videri ab eo administratam, ideoque ei Frugi
cognomen inditum esse“* concludit. Quae argumentatio, licet Lachmanno D. Fontt. Hist.
T. Liv. I. pg. 32. probata, quam levis sit et infirma, vix est quod ostendam; procul dubio
enim, etiamsi Piso, quod nescimus, de re monetaria optime meruisset, Frugi cognomentum
tam grave cf. Cic. Tusc. Disp. libr. III. c. 8. or. pr. Font. c. 13. act. sec. in Verr. libr.
IV. c. 25. §. 57. ex ea sola re non traxisset. Multo post demum, (sed ante C. Gracchi
tribunatum cf. Cic. or. pr. Font. c. 13.) ubi virtutibus omnis generis excelluit, ubi per lon-
gum temporis spatium virum se praestitit summae fortitudinis, iustitiae, prudentiae, ubi de
singulari eius omnes honorum gradus consecuti integritate atque innocentia universi consen-
serunt, tali cognomine praeter ceteros ornatus est solus. Potuit quidem (atque hanc sen-
tentiam ipse amplector) singulare eius facinus, quo omnium admirationes sibi effecit, ultima
caussa esse, ob quam Frugi appellatus est; sed nisi tota agendi vivendique ratio talis fuisset,
qualem supra eam expressi, vix ob id unum cognomine dignatus esset, quo, ut Cicero Tusc.
Disp. libr. III. c. 8. testatur, omnes virtutes in eo fuisse significatum est. Quae si recte
a me disputata sunt, quamquam L. Piso quaestor quid perfecerit prorsus ignoramus, tamen
hunc quoque magistratum ab eo optime gestum esse statuere cogimur. — Certi aliquid ac
rem, qua sola iam magnam sui famam reliquisset, de tribunatu eius accepimus. Anno enim
p. U. c. 605., L. Marcio Censorino M'. Manilio coss., tribunus plebis factus legem de pecu-
niis repetundis primus tulit, cf. Cic. Brut. c. 27. d. Offic. libr. II. c. 21. act. sec. in Verr.
libr. III. c. 84. et libr. IV. c. 25.; quam legem sociorum caussa constitutam, ut a magi-

[1]) Ne tamen silentium mihi crimini vertatur, non modo annum, quo praeturam Piso gessisset, sed ipsum hunc magistratum Pighius coniectura tantum, quamquam probabili, videtur assecutus esse. Verba eius II. pg. 488. haec sunt: „*Meminit Cicero in frumentaria contra Verrem* (act. sec. in Verr. libr. III. c. 84.) *his verbis: Si (quod L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit) cum emisses, quantum esset quod supererat pecuniae, retulisses. Ex quo solo loco colligere est, Siciliae praetorem hunc fuisse, cum abstinentiae Pisonianae hoc exemplo graviter suggillet Verrem eiusdem provinciae praetorem, furem iniquissimum.*“ Pariter Pighii auctoritate motus et quod dubitare non licet, quin Piso his muneribus aeque ac praetura perfunctus sit, eum quaestorem prov. et aedilem pleb., annis allatis, fuisse memoravi.



stratuum Romanorum avaritia et rapacitate tueri se possent, inspicere licet apud Pigh. II. pg. 447.[1]), ubi rectissime vir doctus haec adscripsit: *„At vero postea tot leges et proximae quaeque duriores: tot rei, tot damnati.* (Cic. d. Off. libr. II. c. 21. extr.) *Poena autem repetundarum non adeo gravis primum fuit, ut ex Cicerone colligi potest; et, nisi fallor, tantum pecuniaria. Adiecta mox ignominia quaedam, quod nec in senatum venire, nec in concione orationem habere damnati possent; additumque postea et exilium, ut suis locis opportune demonstrabitur.“* Jam vero ut hac lege humanitatem suam iustitiaeque amorem L. Piso comprobavit, ita ut non modo non ipse provincias compilaret, sed ne ab aliis quidem id fieri pateretur: sic anno p. U. c. 614. C. Laelio Sapiente et Q. Servilio Caepione coss. praetor creatus atque insequenti anno Siciliae provinciae praefectus continentiam suam exemplo testatus est raro. Pecuniae enim, qua frumentum emeret, a senatu ei ex aerario curatae quantum supererat, quum pretio praeter spem parvo annonam parasset, Romam remisit, cf. Cic. act. sec. in Verr. libr. III. c. 84. Eiusdem animi ab omni cupiditate remoti specimen consul dedit. Gravi bello in Sicilia contra fugitivos gesto, quorum opera praecipue adiutus erat, eos imperatorum more donis prosecuturus, quum iis filium suum[2]), aliquot locis fortissime proeliatum, adnumerare cogeretur: praefatus, „non oportere a magistratu e publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset,“ eum titulo tantum coronae aureae trium librarum decoravit, promittens, ex privata pecunia tantundem auri testamento se ei praelegaturum, ita ut honorem publice a duce, praemium a patre reciperet. cf. Valer. Max. libr. IV. c. 3, 10. Plin. N. H. libr. XXXIII. s. 11. Fuit autem L. Piso consul eo anno, quo Ti. Gracchus occisus est, cf. Cic. act. sec. in Verr. libr. IV. c. 49. Pseudo-Ascon. ad act. prim. in Verr. pg. 149. ed. Orell. Vell. Paterc. libr. II. c. 2., collega usus P. Mucio Scaevola, anno p. U. c. 621., eique, ut iam dixi, Sicilia provincia decreta est ac bellum cum fugitivis, quod ad hoc usque tempus C. Fulvius Flaccus gesserat.[3]) Liv. Epit. libr. LVI. de hoc bello narratur: *„Bellum servile, in Sicilia ortum, cum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Huius belli initium fuit Eunus*

[1]) His verbis concepta esse traditur:
UTEI. QUIBUS. IN. PROVINCIEIS. MAGISTRATUS. POPULI. ROM. EORUMVE. COMITES. CONTRA. LEGES. PECUNIAS. CEPISSENT. QUIDVE. COMMISISSENT. EARUM. INIURIARUM. ERGO. ROMAE. QUIRITARI. IUDICIOQ. QUAESITO. SUA. REPETERE. PROVINCIALES. POSSENT.

[2]) qui continentia patri simillimus fuit, cf. Cic. act. sec. in Verr. libr. IV. c. 25.

[3]) Pisonis igitur, quum abesset, nulla mentio fit a scriptoribus, qui motus civiles a Ti. Graccho excitatos memorant; qui si tum Romae fuisset, adversarius acer, ut opinor, consiliis illius obstitisset. Ceterum quod in Liv. Epit. libr. LVIII. reperimus: „*Tot indignationibus commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consul: qui quum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi rursus in eum pro rostris concionatus est.*“ consul h. l. dictus est Annius pro consulari. Significatur autem T. Annius Luscus, qui consulatum tenuit anno 601. p. U. c., cf. Oratt. Rom. fragm. ed. Meyer. pg. 100.

*servus, natione Syrus; qui, contracta agrestium manu et solutis ergastulis, iusti exercitus numerum implevit. Cleon quoque, alter servus, ad septuaginta millia servorum contraxit; et, copiis iunctis, contra populum Romanum exercitumque eius bellum saepe gesserunt.*“ et Epit. libr. LVII.: „*Res praeterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos gestas continet.*“ et Epit. libr. LVIII.: „*P. Rupilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit.*“ Quibus ex locis praeter id, gravissimum fuisse hoc bellum, cf. Oros. libr. V. c. 6. et Diodor. libr. XXXIV. pg. 202. ed. ster., simul apparet, non iam a Pisone confectum esse, sed ad Q. Rupilium, sequentis anni consulem, a quo ei finis impositus est, transiisse. cf. Oros. libr. V. c. 9. Flor. libr. III. c. 19. ibique Intt. Diodor. libr. XXXIV. pg. 195. sqq. ed. ster. alii. At quamvis haud dubie Piso fortissime pugnarit ac saepius res prospere gesserit, cf. Oros. l. c.: „ — *Piso consul Mamertium oppidum expugnavit, ubi octo millia fugitivorum interfecit: quos autem capere potuit, patibulo suffixit, etc.*“, tamen non omnia ei pulchre processisse, tum ex Liv. Epit. libr. LVII. tum ex Floro l. c.: „*Quin illud quoque (ultimum belli dedecus) castra sunt capta praetorum; nec nominare ipsos pudebit castra Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei. Itaque qui per fugitivarios distrahi debuissent, praetorios duces, profugos proelio, ipsi sequebantur.*“ non male aliquis collegerit. Satis fuse hoc totum bellum Livius videtur enarrasse. Pariter autem ac summa supplicia de servis captis Piso sumpsit et ita vindicem acerbissimum se praebuit scelerum ab illis commissorum: disciplina eius militaris severissima fuit, uti cognoscimus ex poena C. Titio, equitum praefecto, imposita, qui fugitivorum agmine circumfusus arma tradiderat. Valerius Maximus libr. II. c. 7, 9. rem ita refert: „*L. quoque Calpurnius Piso consul, quum in Sicilia bellum adversus fugitivos gereret, et C. Titius, equitum praefectus, fugitivorum multitudine hostium circumventus arma iis tradidisset, his praefectum ignominiae generibus affecit. Iussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus, a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiae adesse. Interdixit etiam ei convictum hominum usumque balnearum: turmasque equitum, quibus praefuerat, ademtis equis in funditorum alas transscripsit. Magnum profecto dedecus patriae magno Pisonis decore vindicatum est: quoniam quidem id egit Piso, ut qui cupiditate vitae adducti, cruce dignissimis fugitivis tropaea de se statuere concesserant, libertatique suae servili manu flagitiosum imponi iugum non erubuerant, amarum lucis usum experirentur, mortemque, quam effeminate timuerant, viriliter optarent.*“ cf. Frontin. Strateg. libr. IV. c. 1, 26. et Paul. Diac. libr. IV. c. 23. — Postremo censuram Piso administravit anno p. U. c. 634., P. Manilio et C. Papirio Carbone coss. Coniecturam enim Pighii, qui hoc anno lustrum sexagesimum primum, quamvis eius mentionem apud veteres auctores se non invenisse ipse fateatur, conditum esse arbitratus L. Calpurnium Pisonem Frugi ac Q. Caecilium Metellum Balearicum censores protulit, mihi placere iam supra indicavi licetque totam rem paucis absolvere. Primum id quod in antegressis nondum docui, L. Calpurnium Pisonem tribunum



plebis anno p. u. c. 605., qui primus legem de repetundis tulit, eundem esse, quem annalium scriptorem, elucet ex Cic. Brut. c. 27; huic autem Frugi cognomen tribuitur ap. Cic. Act. sec. in Verr. libr. III. c. 84. libr. IV. c. 25. cf. Epp. ad Div. libr. IX. ep. 22. Dionys. Hal. libr. IV. c. 7. extr. Gell. N. A. libr. XI. c. 14. Priscian. libr. X. c. 3. T. I. pg. 485. ed. Kr.; quumque in Fastis Consularibus (cf. Cic. Tusc. Disp. libr. III. c. 20. §. 48.) consul anni 621. p. U. c. L. Calpurnius Piso *Frugi* appelletur, Cicero autem in or. pr. M. Fonteio c. 13. C. Gracchi tempore unum tantummodo Frugi nominatum esse affirmet, non est, quod dubitemus, quin omnes magistratus a nobis prolatos ille tenuerit. Iam vero propterea, quod saepius[1]), ut a Dionysio Hal. libr. II. c. 37. et 39. (*Πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικός, Πίσων ὁ τιμητικός.*) et libr. XII. fragm. 10. Censorin. d. d. nat. c. 17. Plin. N. H. libr. XIII. s. 27., Censorius appellatur, eundem censura aliquando perfunctum esse oportet statuamus, et quum praeter id solum, a Pighio illi adscriptum, unumquodque lustrum, quod ob temporis rationem ab illo condi potuisset, a quibus Censoribus actum sit, apud auctores veteres inveniamus, Pighii coniecturam equidem veram existimo.

Habes, quae de officiis publicis afferre licuit; addamus, quae pauca insuper de vita Pisonis litteris consignata sunt. Ac quantam auctoritatem Piso moribus suis sibi comparaverit, sicuti eum simultates exercuisse cum C. Graccho, discimus ex Cic. or. pr. M. Font. c. 13., ubi verba leguntur haecce: „*Exstat oratio hominis (ut opinio mea fert) nostrorum hominum longe ingeniosissimi atque eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, quum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. Quem quum in concionem Gracchus vocari iuberet, et viator quaereret, quem Pisonem? quod erant plures: „cogis me“, inquit, „dicere inimicum meum, Frugi.“ Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset: qui uno cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset: tamen in falsam atque iniquam probrorum insimulationem vocabatur.*“ Apponere iuvat Schol. Bobiens. ad Cic. or. pr. Flacco II. 16. pg. 233. ed. Orell., ubi ad verba Ciceronis „*M. Pisone, qui cognomen frugalitatis, nisi accepisset, ipse peperisset.*“ adduntur haec: „*Verum quod ad Pisonem pertineat, plurimi*[2]) *quidem ex hac familia cognomentum frugalitatis habuerunt: sed enim primus hoc meruit L. Piso,*

[1]) Alibi aut simpliciter „Piso“ ut semper a Livio, aut „L. Piso“ ut a Varrone et Plinio, aut „Calpurnius Piso“ cf. Dionys. Hal. libr. 1. c. 79., aut „L. Calpurnius Piso“ cf. Varro d. L. L. libr. IV. pg. 36. ed. Amstel. 1623., aut „Piso ille Frugi“ cf. Cic. Epp. ad Div. libr. IX. ep. 22., aut „*Λεύκιος Πίσων ὁ Φρυγί*“ cf. Dionys. Hal. libr. IV. c. 7. extr. nominatur.

[2]) Maius notat: „Tres tantummodo *Frugi Pisones* recenset Glandorpius in Onomastico. Noster autem interpres dicit *plurimos* pro *plures* etiam inferius XXXIV. 2.“ Sed et apud Pighium in Annalibus et ap Rupertium in Tabulis genealogicis plures quam tres ita cognominatos invenies.

*qui legem de pecuniis repetundis tulit, et fuit C. Graccho capitalis inimicus, in quem ipsius C. Gracchi exstat oratio maledictorum magis plena quam criminum.*“ Quae illa C. Gracchi oratio fuerit, parum liquet;[1]) inimicitiae vero, quae inter hos duos viros intercesserunt, etiam altero ex loco Ciceronis cognoscuntur, Tuscul. Disputt. libr. III. c. 20. §. 48.: „*Et quidem C. Gracchus, quum largitiones maximas fecisset, et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, quum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. is, lege lata, consularis ad frumentum accipiendum venerat. animadvertit Gracchus in concione Pisonem stantem: quaerit audiente populo Romano, qui sibi constet, quum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat: sed, si facias, partem petam. Parumne declaravit vir gravis et sapiens, lege Sempronia patrimonium publicum dissipari?*“ Qui locus ut Pisonem ab optimatium[2]) partibus contra C. Gracchum stetisse testimonio est, ita advocari potest, quo illum orationes habuisse comprobemus. Nec solum Piso orationes egit, eas etiam litteris consignavit, id quod Cicero alibi, Brut. c. 27.: „*L. Piso tribunus pl. legem primus de repetundis Censorino et Manilio coss. tulit; ipse etiam Piso et caussas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit, isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annales sane exiliter scriptos; etc.*“ aperte testatur, quarum orationum, quippe quae iam Ciceronis tempore in oblivionem venissent, nullae omnino ad nos pervenere reliquiae. Veluti autem de his orationibus id tantum pro certo edicere possumus, unam aut plures habitas esse contra legem Semproniam frumentariam, de qua, si libebit, adeas Ernest. Clav. Cicer.: sic quamvis ap. Cic. Brut. l. c. idem Piso multarum legum aut auctor aut dissuasor fuisse memoretur, praeter legem de repetundis, quam tulit, legemque Sempron. frum., quam dissuasit, nulla in promptu est, quae proponatur. Vix tamen me errare puto quum statuam, si non omnibus, certe plurimis, quas C. Gracchus rogavit, legibus eum acriter refragatum esse. Orator ergo Piso exstitit, et ob verba Ciceronis „*et caussas egit*“ ei iuris quoque scientiam concedamus necesse est. At vero annales[3]), quorum saepissime mentio fit a veteribus, quam naturam habuerint, elicere iam conabimur.

---

[1]) Meyerus „Oratt. Rom. fragm.“ pg. 124. singularem orationem a C. Graccho in L. Pisonem habitam esse censet, ac profecto potest ita esse, nec tamen ulla re id sentire cogimur. Eodem enim iure orationem significari putes, qua legem suam frumentariam C. Gracchus suasit, et ubi, quum Piso semper contra eam dixisset, occasio larga ei data est, ut illi convicia faceret.

[2]) Nec tamen sordidis cupiditatibus permotus, sed quod Sempronianis legibus in praeruptum atque anceps periculum respublica ei videbatur adduci et summa imis misceri, Piso, vir rectissimae voluntatis, Tib. et C. Gracchorum consiliis tanquam perniciosis occurrit. Quod si tenemus, non mirum est, ut Niebuhrius opinatur, (Röm. Gesch. Thl. III. S. 373.: Es ist merkwürdig, daß L. Piso, in der gracchischen Zeit selbst Oligarch, diese Anekdote mit Behagen erzählte.) quod ille annalibus suis immiscuit, qua ratione iuvenum aliquot nobilium superbia a Cn. Flavio aedile curuli fracta esset. cf. Gell. N. A. libr. VI. c. 9.

[3]) Sicut omnium fere antiquissimorum, qui res Romanas conscripsere, opera diversis modis citantur, et modo Annales, modo Historiae, modo alio nomine vocantur: sic Pisonis annales Priscianus libr. X. c. 1. Historias, Plinius libr. XIII. s. 27. Commentarios appellavit (quamquam et apud eundem Priscianum



Ac primum hos annales ab antiquissimis inde temporibus, ita ut Aeneae quoque in Italiam adventus cf. Auct. d. Orig. G. R. c. 10.[1]) bellumque cum Turno gestum cf. id. c. 13. narraretur, Albanorum reges enumerarentur cf. id. c. 18. Romuli Remique origo exponeretur cf. Dionys. Hal. libr. I. c. 79., continuatos esse ad Pisonis ipsius aetatem, ex Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 14. (a. 595. p. U. c. Pigh. Ann. II. pg. 415.) Censorin. d. d. nat. c. 17. (a. 596.) Plin. N. H. libr. XVII. s. 38. (a. 620. Pigh. Ann. II. pg. 429.) discimus. Deinde quum liber tertius annum 450. p. U. c. cf. Gell. N. A. libr. VI. c. 9., liber septimus autem cf. Censorin. l. c. annum p. U. c. 596. demum ceperit, ne falsus sim vix timeo censens, in plures quam in septem libros historias Pisonianas divisas fuisse. Quo propius enim scriptores antiquissimi in rebus enarrandis ad suam ipsorum aetatem accedebant, eo fusiores erant atque copiosiores, cf. Dionys. Hal. libr. I. c. 6. et c. 7.: maximeque id procul dubio in eos cadit, qui non modo quae ab aequalibus facta essent, sed quibus interfuissent ac quae partim ipsi gessissent, memorare potuerunt. Horum igitur ad numerum quum Piso adscribatur oporteat, magistratus suos quo modo administrasset, eum prolixe et diligenter litteris mandasse arbitror et ita rationem quasi reddidisse[2]) omnium, quae domi militiaeque perpetrasset: cui rerum gestarum multitudini ceterisque, quae memoratu digna tum temporis evenerunt, tantum abest, ut alia ex priore tempore desumpta in uno eodemque libro praemitti potuerint, ut iis solis num libri duo suffecerint dubitare liceat. Sed quantuscunque librorum, in quos annales dividebantur, numerus fuit, id certe manifestum est, tempus iis et antiquissimum et Pisoni proximum comprehensum fuisse. In primo libro praeter tempora ante Urbem conditam verisimiliter omnes reges tractati sunt[3]), ita ut alter, caussis ob quas reges expulsi essent allatis[4]), a primis consulibus initium caperet, cf. Gell. N. A. libr. XV. c. 29. Tertius iam annum 450. p. U. c. continuit, cf. Gell. N. A. libr. VI.

---

altero loco libr. X. c. 3. et apud Plinium plerumque, ut libr. II. s. 54., libr. XXVIII. s. 4. annalium nomen usurpatur), Dionysius Hal. libr. IV. c. 7. extr. ἐνιαυσίους πραγματείας et libr. IV. c. 15. ut libr. XII. fragm. 10. ἐνιαυσίους ἀναγραφάς. Cf. Lachmann. d. Fontt. Hist. T. Liv. II. pg. 20. Bolhuis. Diatr. Liter. in M. Porc. Catonis Scripta etc. pg. 1. sq. Nec tamen id antiquissimis solis factum est, sed iis etiam, qui ad aetatem multo posteriorem referendi sunt.

[1]) Quae enim scriptura vulgo exhibetur: „ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso“ emendatoris manu indiget; scriptum fuit aut „Vulcatius, Acilius et Piso“ aut „Vulcatius, Acilius, Piso.“

[2]) Certe quae a Valerio Maximo libr. II. c. 7, 9., postquam poenam de C. Titio, equitum praefecto, captam exposuit, subiunguntur, ea pariter atque antecedentia ex Pisonis annalibus deprompta esse non inepte aliquis coniiciat.

[3]) Unde Lachmannus d. Fontt. Hist. T. Liv. I. pg. 33. adn. 1. dicens: „*Certe cum ultimos reges et primos Coss. liber II. continuerit, etc.*“ id sciat ignoro, sibique ipse obloquitur ibid. pg. 56.: „*ita Piso apud Gell. XV. 29. qui ut Livius quoque librum II. a regibus eiectis incipiebat.*“

[4]) Ita enim sentire cogimur fragmento, quod invenitur apud Priscian. libr. X. c. 3. Tom. I. pg. 485. ed. Kr.: „*Quodcunque deliquisset, ignosciturum affirmabat.*“ ac quo, ut Lachmannus quoque I. pg. 50. censet, verba Collatini ad Lucretiam redduntur. Videtur etiam tota Pisonis narratio de Lucretiae strupro et morte valde similis fuisse Livianae libr. I. c. 58.

c. 9. Unde quamquam intelligitur, satis breviter Pisonem res antiquissimas perstrinxisse et multo succinctius quam Livium, apud quem id, quod ex tertio Pisonis annali Gellius l. c. hausit, libr. IX. capite extremo legitur: tamen etiam ab eo singula annalibus immixta sunt, quae amplitudinem quandam produnt et rerum narratarum abundantiam, cf. Gell. N. A. libr. XI. c. 14. Plin. N. H. libr. XXXIII. s. 11. libr. XXXIV. s. 13. Auct. d. Or. G. R. ll. cc. Aliquanto uberius atque accuratius in libris sequentibus Piso res Romanas tradidit, ita ut in libro septimo ad annum 596. p. U. c. demum narratio processisset, ac plura ibi memoravit, quae Livius ut minoris momenti omnino praetermisit, cf. Plin. N. H. libr. XVI. s. 74. libr. XV. s. 38. libr. XVIII. s. 8, 2.[1]) — Iam vero si quales res et cuiusmodi a Pisone in annalibus expositae sint, quaeramus, eas fuisse multifarias ex fragmentis, quae restant, cognoscimus. Praeter ea enim, quae foris gesta sunt, et quae ad internam civitatis Romanae conditionem plebisque et optimatium certamina spectaverunt, ut secessio in montem Aventinum (vel potius Sacrum) Liv. libr. II. c. 32. et numerus tribunorum pl. Liv. libr. II. c. 58., res sacras

[1]) Locus hic est opportnnus, qno, qua ratione fragmenta ex Pisonis annalibus servata inter singulos libros rectissime distribuantur, adnotem. Atque ad primum librum praeter reliquias, ei aperte adscriptas, Gell. N. A. libr. XI. c. 14. Plin. N. H. libr. XIII. s. 27., libr. II. s. 14., libr. XXVIII. s. 4., Dionys. Hal. libr. IV. c. 15. Priscian. libr. X. c. 1. Tom. I. pg. 474. ed. Kr. refero: Varr. d. R. R. libr. II. c. 1. (et, occasione data, hoc etiam loco Pisonem protulisse puto, quae Macrob. Saturn. libr. III. c. 2. exhibet.) Varr. Fragm. pg. 34. ed. Amstel. 1623. et Lactant. Div. Inst. libr. I. c. 6. (anum, libros Sibyllinos Tarquinio venditantem, non significari, sed Sibyllam, quam Aeneas ad Italiam vix appulsus de rebus futnris consuluit, docemur ipsis Varronis ap. Lactant. l. c. verbis: „*Quartam* [Sibyllam] *Cumacam in Italia, quam Nacvius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat; — Septimam Cumanam, nomine Amaltheam: quae ab aliis Demophile vel Herophile nominatur: eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum.*) Auct. d. Orig. G. R. c. 10. Serv. ad Virg. Aen. libr. X. v. 76. (Pilumni enim, qui avus Turni dicebatur, ubi de hoc sermo erat, mentio verisimiliter facta est.) Auct. d. Orig. G. R. c. 13. Dionys. Hal. libr. I. c. 79. Serv. ad Virg. Aen. libr. II. v. 761. Tertullian. d. Spectac. c. 5. Varr. d. L. L. libr. IV. pg. 36. ed. Amstel. Dionys. Hal. libr. II. c. 38. sqq. Macrob. Saturn. libr. I. c. 12. (quae h. l. leguntur, a Pisone, ut mea fert opinio, adiecta sunt, quum de anno Romuleo verba faceret.) Varr. d. L. L. libr. IV. pg. 39. ed. Amstel. Plutarch. Num. c. 21. Dionys. Hal. libr. IV. c. 7. Liv. libr. I. c. 55. Libro alteri a veteribus ipsis iam attribuuntnr fragmenta ap. Priscian. libr. X. c. 3. Tom. I. pg. 485. ed. Krehl. et ap. Gell. N. A. libr. XV. c. 29.; his adnumero: Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 13. libr. XXXIII. s. 11. Liv. libr. II. c. 32. et c. 58. Ad utrum librum, ad secundum an ad tertium, fragmentum ap. Dionys. Hal. libr. XII. fragm. 10. (a. 358. p. U. c.) pertineat, in medio relinquendnm erit. Sed ex tertio annali desumptum est, quod Gellius N. A. libr. VI. c. 9. habet; fortasse etiam loci ap. Liv. libr. IX. c. 44. et libr. X. c. 9. Libris IV. V. VI. deinde comprehensa fuerunt, quae Plinius N. H. libr. XVI. s. 74. libr. VIII. s. 6. libr. XV. s. 38. Livius libr. XXV. c. 39. Plin. N. H. libr. XVIII. s. 8, 2. libr. XXXIV. s. 8. libr. III. s. 23. ex Pisone tradunt; certe haec omnia, temporum ratione habita, ponenda sunt inter annum 450. p. U. c., quem tertio libro inclusum vidimus, et annum 596. p. U. c. Res autem huius anni libro septimo tractatas esse, auctor est Censorinus d. d. n. c. 17., et procul dubio ad hunc librum referendus est etiam locus ap. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 14. (a. 595. p. U. c. cf. Pigh. Ann. II. pg. 415.) Octavo aut nono annali adsignandum erit, quod legitur ap. Plin. N. H. libr. XVII. s. 38. (a. 620. p. U. c. cf. Pigh. Ann. II. pg. 429.) Prorsus incerta sunt fragmenta, quae ap. Arnob. adv. Gent. libr. III. c. 38. et Cic. Epp. ad Div. libr. IX. ep. 22. invenimus. Pariter denique in ambiguo est, res, quae ab Auctore d. Orig. G. R. c. 18. Epitomarum Pisonis secundo tribuitur, in quonam annalium libro enarrata sit.



attigit earumque peritissimum se praestitit[1]) cf. Macrob. Saturn. libr. I. c. 12. Tertullian. d. Spectac. c. 5. Dionys. Hal. libr. II. c. 38. sqq. et libr. XII. fragm. 10. Arnob. adv. Gent. libr. III. c. 38. Serv. ad Virg. Aen. libr. II. v. 761.[2]) et ad libr. X. v. 76.; de institutis locutus est cf. Dionys. Hal. libr. IV. c. 15. et Varr. d. L. L. libr. IV. pg. 39. ed. Amstel.; de prodigiis, cf. Plin. N. H. libr. XVII. s. 38.; quando lustra condita essent et ludi saeculares apparati, non praetermisit cf. Censorin. d. d. n. c. 17. Plin. N. H. libr. XVII. s. 38. libr. XXXIV. s. 14.; monumenta antiqua observavit, cf. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 13. et s. 14.; mores descripsit, cf. Gell. libr. XI. c. 14. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 8. (cf. Liv. libr. XXXIX. c. 6. Plin. N. H. libr. XXXIII. s. 53. libr. XXXIV. s. 16. et infra.) libr. XVIII. s. 8, 2. libr. XXXIV. s. 14. Cic. Epp. ad Div. libr. IX. ep. 22. Nec neglexisse Pisonem interdum, quid vocabula significent, addere, docemur a Varrone d. R. R. libr. II. c. 1. et Macrobio Saturn. libr. III. c. 2. Videtur autem Piso, annalium maximorum more, non modo res per singulos annos digessisse, sed etiam, qui consules, censores, praetores etc. anno quoque fuissent, apposuisse, cf. Censorin. d. d. n. c. 17. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 14. Liv. libr. IX. c. 44. ac diligentiam eius in magistratuum nominibus afferendis discimus ex Liv. libr. II. c. 58. et libr. X. c. 9.

Haec hactenus de argumento; ad fidem rerum narratarum quod pertinet, eam vehementer impugnavit Niebuhrius Hist. Rom. Tom. I. pg. 261. 412. ed. tert. et Tom. II. pg. 10. sq. ed. alt. propterea, quod Piso colorem mythicum detrahere studuisset in fabulisque quid veri inesset inquirere. Quod quamquam non iniuria Pisoni exprobratur, tamen tam arte cohaeret cum animo huius viri (cf. Blum „Einleitung in Rom's alte Gesch.“ pg. 115. sq.) studiisque temporis, quo vivebat, (cf. Blum ibid. pg. 94. sqq.) et, ex aliqua certe parte, cum consilio, quod in annalibus conficiendis videtur habuisse, ut, si id non factum esset, meliore iure mirari posses. Pariter enim ac per totam vitam id unum curavit, ut virum integerrimum omnibusque virtutibus ornatum se praeberet, ad historiam conscribendam aggressus quotiescunque in res incidebat, quarum fides ambigua ipsi videbatur, ne mendosus auctor iudicaretur et fabulosus, iis speciem veri similiorem enisus est ut restitueret. Hac mente factum censeo, ut a Tarpeia auro Sabinorum corrupta Capitolium proditum esse negaret, cf. Dionys. Hal. libr. II. c. 38. sqq., quoniam alioquin Romani eam sepulcri honore in eo loco, ubi cecidisset, non dignati essent nec ei inferias quotannis constituissent; deinde ut temporum ratione habita Tarquinium Priscum non filios reliquisse, sed nepotes affirmaret, cf. Dionys. Hal. libr. IV. c. 7. extr. (Lachm. d. Fontt. Hist. T. Liv. I. pg. 54.

[1]) Lachmannus d. Fontt. Hist. T. Liv. I. pg. 33. adn. 2. dicit: „*de his* [sacris] *aut singulum librum scripsit* [Piso] *aut multa talia annalibus immiscuit.*“ Sed quum omnia, quae commemorantur, eiusmodi sint, ut commode in annalibus inveniri potnerint, nosque ne levissimum quidem libri illius singularis vestigium habeamus, quaecnnque de sacris proferuntnr, annalibus adsignare non cunctor.

[2]) Ex hoc loco et ex Varrone d. R. R. libr. II. c. 5. (cf. libr. II. c. 1.) Pisonem graece eruditum fuisse, Lachmannus d. Fontt. Hist. T. Liv. I. pg. 33. haud inepte collegit.

aduot. 2.); postremo ut multo aliter, quam ceteri (Liv. libr. VII. c. 6.), unde lacus Curtius nomen invenisset, traderet cf. Varr. d. L. L. libr. IV. pg. 36. ed. Amstel. 1623. (Liv. libr. I. c. 12. et Dionys. Hal. libr. II. c. 42.) Sed quamquam veritatis studio permotum haud raro Pisonem a fabulis recessisse et, quae fide digniora essent, litteris mandare studuisse, exemplis modo allatis edocemur: tamen non ubique id factum est; certe de Ilia et de ortu Romuli Remique et de nece Amulii Piso idem, quod Fabius Pictor, prodidit, cf. Dionys. Hal. libr. I. c. 79—83.[1]) Sic famam pervulgatam secutus est etiam in iis, quae de Numa ac Tullo Hostilio leguntur ap. Plin. N. H. libr. II. s. 54. et libr. XXVIII. s. 4., de Aenea cf. Auct. d. Orig. G. R. c. 10., de Turno ibid. c. 13., de Sibylla Cumaea cf. Lactant. libr. I. c. 6. Et ut paucis loquar, quod sentiam, non temere, ut Valerius Antias aliique, Piso videtur immutasse, sed tum modo, quum repugnantiam quandam rerum deprehendisse se putaret, vel alia certa de caussa; id enim maxime spectavit, ut ubique, quid verissimum esset, redderet. Ob hunc probabilitatis amorem permagni aestimatus est a Dionysio Hal. et ob eandem praestantiam, ut mea quidem fert opinio, „*gravis auctor*“ dictus a Plinio N. H. libr. II. s. 54. et libr. XVII. s. 38., qui omnino permulta ex eo desumpsit, cf. libr. III. s. 23. VIII. s. 6. XIII. s. 27. XV. s. 38. XVI. s. 74. XVIII. s. 8, 2. XXVIII. s. 4. XXXIII. s. 11. XXXIV. s. 8. 13. 14. Indd. ad libr. XII. XIV. XXIX. XXXVI. et ita

[1]) Nulla quidem re vetamur, quum Dionysius Hal. libr. I. c. 79. init. scribat: „*Μέχρι μὲν δὴ τούτων* (in antecedentibus autem narratio de Silvia ad eam usque partem continuata est, qua qui factum sit memoratur, ut Romulus Remusque exponerentur) *οἱ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων τὰ αὐτὰ, ἢ μικρὸν παραλλάττοντες, οἱ μὲν ἐπὶ τὸ μυθωδέστερον, οἱ δ' ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθείᾳ ἐοικὸς μᾶλλον, ἀποφαίνουσι· περὶ δὲ τῶν ἑξῆς διαφέρονται.*“ Pisonem iis adnumerare, qui nonnulla paullo aliter atque fabula ferebat, enarraverant, sed Pisonem quoque significari c. 84. init.: „*Ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν, τήν γε ἀπόθεσιν τῶν βρεφῶν οὐχ, ὡς ἐκελεύθη τοῖς ὑπηρέταις, γενομένην, ἀπίθανον εἶναί φασι κ. τ. λ.*“ nequaquam licet statuere ideo quod cf. c. 79.: „*περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων, Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος — ἠκολούθησαν κ. τ. λ.*“ Piso unus est ex iis, quibus illi veri similiora tradentes opponuntur. Haud scio an ap. Dionys. Hal. libr. I. c. 84. intelligendi sint M. Octavius et Licinius Macer cf. Auct. d. Orig. G. R. c. 19. et Valerius Antias, cf. ibid. c. 21. — Est porro ab hoc loco non alienum, quaestionem de fontibus a Pisone in annalium opere usurpatis breviter expedire. Verba enim Dionysii supra scripta: „*Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος — ἠκολούθησαν κ. τ. λ.*“ in caussa esse queunt, ut aliquis Pisonem ex Fabii Pictoris auctoritate paene totum pependisse sibi persuadeat. Quod minime verum est; potius aeque ac Cincium Catonemque, (de quo vid. Bolhuis. Diatr. liter. in M. Porc. Cat. scr. pg. 14. sqq.) qui simul nominantur, ex Fabio sua hausisse non probabile est, Piso, ubi cum hoc consentit, traditionem secutus est vulgarem, nec loci desiderantur, unde ab illius narratione Pisonianam saepius longe recessisse pateat. Antiquitatis monumenta, annales Pontificum, annales maximi, sacra, instituta, alia fuerunt, quae in auxilium vocare potuit et revera vocavit, quibusque nisus haud raro fabulam, quae vulgo circumferebatur, refutavit. Nec tamen his negatum volo, Pisonem Fabii annales aut eorum, qui ante ipsum vixerunt, perlegisse, et hoc illudve ex iis in usum suum convertisse: sed id tantummodo infitias eo, illum res suas Fabio ita debuisse, ut eum solum auctorem haberet. Quin ne Graecos quidem, qui primum Romanorum historiam litteris mandare aggressi sunt, fastidivit; certe quod ap. Varr. d. R. R. libr. II. c. 1. (cf. c. 5.) invenimus, haud dubie Graeci cuiusdam commentum fuit.



etiam, quanti eum fecisset, testatus est. Iam vero quum talis, atque indicavi, ingenii esset studiique Piso, quo propius ad suam ipsius aetatem perveniebat, eo plus auctoritatis et fidei annales eius habuisse concludere licet, ita ut mirandum sit, quod Livius, qui in prima decade saepius eum interponit, in sequentibus libris semel tantummodo eius mentionem facit. Ex silentio quidem solo nondum sequitur, Pisonem prorsus neglectum esse, imo praeter libr. XXV. c. 38., ubi nominatur, etiam procul dubio adhibitus est libr. XXXIX. c. 6. cf. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 8., nec omnino Livius solet, quos in quaque re scriptores contulerit, edicere; sed loci non desunt, unde Pisonis annales ab eo non inspectos esse intelligamus, ut libr. XL. c. 29. cf. Lachm. II. pg. 58. et Epit. libr. XIX. cf. Lachm. II. pg. 2. In primis decem libris Piso a Livio commemoratur libr. I. c. 55. libr. II. c. 32. et c. 58. libr. IX. c. 44. libr. X. c. 9.[1]) quorum extremo loco, quod vetustior annalium auctor sit, Licinio Macro et Tuberoni anteponitur, ceteris omnibus autem eum reiectum videmus, ac libro I. c. 55. quidem fides ei non habetur, quod nimiam pecuniae summam in fundamenta templi Capitolini erogatam edat. Recte Niebuhrius Hist. R. Tom. I. pg. 569. sqq. ed. III. discrepantiae, quae h. l. inter Fabium Pisonemque interest, originem explicuit ita, ut censeret, quem talentorum numerum ille totam praedam esse affirmasset, eum ab hoc pro decima tantum parte habitum esse; ac profecto mirum est, quod Piso, auctor, cui nihil antiquius fuisse vidimus, quam ut vera proderet, tam incredibile aliquid annalibus suis inserere sustinuit. Aliter tamen iudicandum erit de loco libr. II. c. 32., ubi Livius quidem frequentiorem famam Pisonis narrationi praetulit, sed hanc non utique reiiciendam esse docet Niebuhrius T. I. pg. 670. Nec quod libr. II. c. 58. Pisoni tribuitur, principio duos tantum fuisse tribunos pleb. et demum anno 283. p. U. c. quinque factos, tanquam omnino falsum aspernari licet; sicuti etiam recte an iniuria biennium, quo Ap. Claudium L. Volumniumque et P. Cornelium Arvinam cum Q. Marcio Tremulo coss. factos esse Livius libr. IX. c. 44. tradidit, Piso exemerit, iniudicatum opus est relinqui, cf. Lachm. I. pg. 73. Denique libr. X. c. 9. Pisonis testimonio motus Livius, quod a Licinio Macro et Tuberone narratur, improbat, nec caussa est idonea, ob quam cum Niebuhrio Tom. III. adn. 276. Licinii Macri suscipiamus patrocinium. Omnibus igitur his locis, ne primo quidem excepto, quippe quo quamquam falsi aliquid, tamen non res contineatur magni momenti, nihil contra Pisonis fidem efficitur, nec, quum unum excluseris, cetera, quae apud alios scriptores invenimus, fragmenta quid-

[1]) Est praeterea Pisonis narratio de Tulli Hostilii exitu (Plin. N. H. libr. II. s. 54. et libr. XXVIII. s. 4.) simillima Livianae (libr. I. c. 31.); Collatinum Tarquinium consulem nominis odio abdicare se magistratu atque exulare iussum, Piso cf. Gell. libr. XV. c. 29. eadem ratione, qua Livius libr. II. c. 2. (cf. libr. IV. c. 15. Cic. d. Rep. libr. II. pg. 76. ed. Heinr. Lachm. I. pg. 56.) narravit; conferatur porro Liv. libr. V. c. 13. cum Dionys. Hal. libr. XII. fragm. 10., Liv. libr. IX. c. 46. cum Gell. N. A. libr. VI. c. 9. (Plin. N. H. libr. XXXIII. s. 6. Cic. or. pr. Muren. c. 11. §. 25. Intt. Cic. Epp. ad Att. libr. VI. 1. Valer. Max. libr. II. c. 5, 2.), Liv. libr. I. c. 58. cum Priscian. libr. X. c. 3., Liv. libr. I. c. 12. cum Varr. d. L. L. libr. IV. pg. 36. ed. Amstel. 1623. (Dionys. Hal. libr. II. c. 42.)

quam exhibent, quo auctoritas illius imminui possit. Unus autem, quem dixi, locus legitur apud Plinium N. H. libr. XIII. s. 27.[1]), ubi L. Piso Censorius primo commentariorum prodidisse dicitur, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset. In eadem libros eius repertos P. Cornelio Cethego, M. Baebio Pamphilo coss., ac septem quidem libros iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse. Quo ex loco non errare me puto si eruam, Pisonem quoque in numero fuisse eorum, qui Numae doctrinam a Pythagora auctore profectam statuerant, cf. Liv. libr. I. c. 18. (Cic. d. Rep. libr. II. pg. 63. sq. ed. Heinr. Liv. libr. XL. c. 29. Lachm. I. pg. 53. sq. pg. 197. extr. II. pg. 58.) — Postremo id etiam pro indicio auctoritatis, quae Pisonis annalibus fuerit, haberi potest, quod ei in epitomen redacti sunt, quae epitome minimum in duos libros divisa erat, cf. Auct. d. Orig. G. R. c. 18.

Sufficient haec de fide annalium; sequitur ut, qua ratione Piso annos computasse videatur, adiiciam. Lachmannus d. Fontt. Hist. T. Liv. I. pg. 73. de biennio loquens, quod Livio libr. IX. c. 44. teste Piso exemerit, haec adnot. 1. profert: „*Alibi tamen Piso annos hic detractos addidisse videtur, fortasse dictatoribus quibusdam interpositis. Certe a.* 596. *unum annum plus quam Cato computat* (*v. fragm. ap. Censorin. c.* 17. *Scaliger E. T. pg.* 391. *cf.* 387.) *Et iam de anno* 567. *idem observandum.* (*Plin. H. N.* 34, 3.)“ Sed loco posteriore quin Plinius ipse annum adscripserit dubitari nequit, nec omnia, quae Censorinus l. c. prodit, ad rem diiudicandam fas est advocare. In verbis enim: „*De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. a. p. U. c.* 605. *At Piso Censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss., id est, a.* 608.“ qui memoratur annus 608., similiter a Censorino adiectus est. Sunt igitur tantummodo respicienda verba Censorini l. c. haecce: „*testis est Piso, in cuius annali septimo scriptum est sic: Roma condita anno* 596. *saeculum accipit, his consulibus, quis proximi sunt consules M. Aemilius M. F. Lepidus, C. Popilius II. absens.*“ Atqui M. Aemilius Lepidus et C. Popilius secundum Fastos Consulares consules fuerunt a. 596., secundum Pighium, qui Catonis aeram (sit venia verbo) sequitur, a. 595., ita ut non unius, sed duorum spatio annorum Piso et Cato inter se discrepent, et ille potius cum Varrone consensisse videatur.

Paucis etiam absolvere licebit quaestionem de consilio, quod in annalibus conficiendis Piso habuerit. Nihil aliud enim, ut mihi quidem persuasum est, voluit quam corruptos aequalium mores conformare et emendare eosque ipsos ad maiorum vitam agendique ratio-

[1]) Perperam h. l. scripturam „*C. Piso.*“ duo codices praebent; eam enim corruptam esse primum addito agnomine „*Censorius*“ docemur, tum quod in Indice auctorum, ex quibus hoc libro sua hausisset, Plinius ipse L. Pisonem posuit, denique quod Plinius, si C. Pisonem, scriptorem satis ignotum, significare voluisset, accuratius hunc a celebriore L. Pisone tam saepe memorato distinxisset.



nem reducere. Quod studium, Pisonis animo quam maxime consentaneum, satis evidenter ex pluribus cognosci potest fragmentis. Sic apud Ciceronem Epp. ad Div. libr. IX. ep. 22. legimus: „*At vero Piso ille Frugi in annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse.*“ et apud Plinium N. H. libr. XVII. s. 38.: „*A quo tempore* (loquitur Plinius de M. Messalae, C. Cassii censorum lustro) *pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit.*“ Porro hac mente arbitror factum esse, ut de Romuli vita atque victu scriberet exemplumque frugalitatis, quae illi fuisset, ederet, cf. Gell. N. A. libr. XI. c. 14.; ut tranquillitatem securitatemque, quam ante civitas temporibus vel tristissimis servasset, exponeret, cf. Dionys. Hal. libr. XII. fragm. 10.; ut quanti maiores agri culturam fecissent quantamque operam in ea consumpsissent, ostenderet, cf. Plin. N. H. libr. XVIII. s. 8, 2. Omnium autem malorum, quibus aetas sua premeretur, caussam primariam duxit luxuriam; prodidit, quo tempore et unde ea in Italiam primum invecta esset eamque reprimere studuit, cf. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 8. et s. 16. libr. XXXIII. s. 53. Liv. libr. XXXIX. c. 6. Luxuria autem crescente etiam ambitio aucta est; hanc igitur simul impugnavit exemplisque docuit, quanta cura maiores ei providissent, cf. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 14.

Restat, ut quo genere scribendi Piso usus sit, explorem. Qua in caussa quum maxime veterum iudicio stare debeamus, primum videndum erit, quid ex locis Ciceronianis Brut. c. 27. d. Legg. libr. I. c. 2., d. Orat. libr. II. c. 12. intelligatur. Ac primo loco Piso annales reliquisse dicitur sane *exiliter* scriptos, nec secus iudicatur d. Legg. libr. I. c. 2.: „*Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius, si aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium — venias: quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes?*“ tertio denique loco haec verba reperimus: „*Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti; talis noster Cato et Pictor et Piso; qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio, modo enim huc ista sunt importata, et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.*“ A Cicerone igitur, qui historiam voce non alia, nisi oratoris, immortalitati vult commendari, ornatus delectusque verborum requiritur; potuisse illos annalium scriptores negat formare orationem eamque variare et distinguere; nihil ultra eos spectasse, quam ut breves essent in enarrando, parum sollicitos de ordine, quo res singulas mandarent. Non dubitamus quidem, quin Cicero immodica gloriae cupiditate incensus iudicem iusto acriorem se praebuerit, cf. Lachm. I. pg. 115. adnot. 1.; sed sententiam eius non omnino falsam esse ex paucis, ubi Pisonis ipsius verba nobis servata sunt, fragmentis liquido apparet. Quin ipse Gellius, quamquam prisco eloquendi genere non mediocriter delectatus, simplicitatem illam orationis et ieiunitatem agnovit libr. IX. c. 14.[1]) Inveniuntur autem sex omnino loci, quibus in verba a propria

[1]) Temperare mihi nequeo, quominus hunc alterumque longiorem locum, qui apud eundem Gellium N. A. libr. VI. c. 9. legitur, apponam, ut statim potestas detur cognoscendi, quid de dictione Pisonis existi-

Pisonis manu profecta incidimus, apud Gellium N. A. libr. V. c. 9. libr. XI. c. 14. libr. XV. c. 29. Priscian. libr. X. c. 1. Tom. I. pg. 474. et c. 3. Tom. I. pg. 485. ed. Krehl. Censorin. d. d. n. c. 17. Et in his, ut dixi, iam satis multa insunt, quibus exilitas et quasi infantia sermonis comprobetur. Deprehendimus enim repetitiones verborum nec ob vim et gravitatem nec perspicuitatis caussa, sed ampla quadam simplicitate admissas, nec apud Ciceronem aut quemquam bonorum tam frequentes (cf. Gell. libr. VI. c. 9. ubi quater nomen proprium, ter cum patris nomine iteratur); contraria tamen ex parte etiam pronominum adverbiorumque demonstr. usus immodicus adest; desideratur apta et quasi rotunda constructio, sententiae non bene iunctae inter se, enuntiata aequo breviora sunt. Antiquum porro genus dicendi demonstratur formis, quales sunt „*allicuit*“ ap. Priscian. libr. X. c. 1. et „*ignosciturum*“ ibid. c. 3. et quod ap. Gell. libr. VI. c. 9. scriptum est „*ad collegam venire visere*“ (ut ap. Terent. Phorm. I. 2, 52. „ire visere“ et ap. Coelium cf. Charis. libr. II. pg. 182. ed. Putsch. „mittit visere.“) et libr. XV. c. 29. „*quia Tarquinium nomen esset*“ et „*quis*“ pro „quibus“ cf. Censorin. d. d. n. c. 17.

Postremo ad quod usque tempus annales Pisoniani integri pervenerint, si quaeras, id modo pro certo affirmare possumus, eos etiam Gellii aetate superfuisse; num vero Servius, Arnobius, Auctor d. Orig. G. R., Priscianus ad manus eos habuerint, vehementer dubito propterea, quod saeculis sequentibus Liviani operis nobilitate effectum est, ut omnes illi annalium scriptores in oblivionem venirent.

---

Praeter hunc L. Calpurnium Pisonem Frugi a Plutarcho in Vit. Mar. c. 45. „*Γάϊος δέ τις Πείσων ἀνὴρ ἱστορικός*“ nominatur, cuius, quantum equidem scio, nemo veterum ultra mentionem fecit. Est autem in errore Heerenius d. Fontt. Plut. Comm. IV. pg. 150. dicens: „Praeterea in describendis ultimis Marii fatis *C. Piso* historicus semel a Plutarcho commemoratur. Est vero is L. Calpurnius Piso, quem annales condidisse, admodum tamen exiles, testem habemus Ciceronem in Bruto.“ Id enim ne pro vero ponamus, primum vetamur ratione, qua Plutarchus C. Pisonem attulit, quippe quae satis aperte indicet, non notissimum illum annalium scriptorem, a Plutarcho ipso Num. c. 21. citatum, significari, sed alium multo obscuriorem; tum non credibile est, L. Pisonem ad eam senectutem vixisse, ut de Marii morte scribere potuisset; obstat denique locus apud Dionys. Hal. libr. I. c. 7., ubi haud dubie in numero plurali „*Καλπούρνιοι*“ L. Piso Frugi et hic C. Piso latent.[1]) Vossius d. H. L. I. c. 6. eum esse suspicatur C. Calpurnium Pisonem, cuius facundiam Cicero Brut. c. 68. init. celebret, ac qui cum M. Glabrione consul fuerit a. 687. p. U. c. legemque Calpurniam de ambitu (cf. Ascon. in Cic. or. in tog. cand. pg. 89. ed. Orell. et Pigh. Ann. III. pg. 314.) tulerit. An forte C. Calpurnius Piso Frugi, Ciceronis gener? cf. Cic. Brut. c. 78. Sed utcunque res sese habet, id certe pro explorato habere possumus, historias eius non valde inclaruisse eumque ante Dionysium Hal. vixisse.

mandum sit. Ac priore loco haec exhibentur: „Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita atque victu scriberet. Ea verba, quae scripsit, haec sunt: *Eundem Romulum dicunt, ad coenam vocatum ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. ei dicunt: Romule, si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. is respondit: immo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi, quantum volui.*“ altero autem Gellius sic tradit: „Quod res videbatur memoratu digna, quam fecisse Cn. Flavium Annii filium aedilem curulem L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone: locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus. *Cn.*, inquit, *Flavius patre libertino natus scriptum faciebat: isque in eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur: eumque pro tribu aedilem curulem renunciaverunt. At aedilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum aedilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse scriptuque sese abdicasse: isque aedilis curulis factus est. Idem Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere aegrotum: et in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant contemnentes eum: assurgere ei nemo voluit. Cnaeus Flavius Annii filius aedilis id arrisit: sellam aedilem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset: utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.*“



[1]) Aliter, sed falso, ut opinor, sentit Niebuhrius Tom. II. pg. 10. adnot. 11.

---

# Schulnachrichten.

## Allgemeine Lehrverfassung für das Schuljahr von Ostern 1835 bis Ostern 1836.

### I. Prima.

### Ordinarius Rector Dr. Foertsch.

#### 1. *Sprachunterricht.*

1) *Lateinische Sprache:* Im *Sommer* und *Winter* Cicer. de nat. Deor. lib. I. und II. in 3 Stunden und Horat. Epist. lib. I. in 2 St., Correctur der lateinischen Aufsätze 1 St., Extemporale 1 St., Disputirübungen 1 St. Rector Dr. Foertsch. (Aufserdem wurden privatim von den Schülern unter Anleitung des Rectors Hor. Od. lib. I–III., Cicer. de divin. lib. II. und Sallust gelesen und auserlesene Oden des Horaz auswendig gelernt.)

2) *Griechische Sprache:* Im *S.* Sophocl. Oedip. Rex, im *W.* Soph. Electra, womit zu verschiedenen Zeiten griechische Stilübungen verbunden wurden, 3 St. Rector Dr. Foertsch. Aufserdem Demosth. 1. Philippica, 1–3. Olynthische Rede (nach der von Dionys. Hal. angegebenen Aufeinanderfolge) und die Rede über den Frieden 3 St. Conrector Müller. (Privatim mufsten die Primaner wiederum jeden Monat ein Buch von Homer's Iliade lesen, und es wurden jedesmal 2 Stunden dazu bestimmt, sie über das Gelesene zu befragen. Auch erklärte ihnen der Rector in einigen Stunden ausführlich Il. α, 1–245.)

3) *Hebräische Sprache:* Aus Gesenius' Lesebuche die Stücke, die sich auf das Leben David's beziehen und einige Stellen aus Jesaias 1 St. und grammatische Uebungen, verbunden mit Uebersetzen i. d. Hebräische nach Schröder's Uebungsbuche 1 St. Conrector M. Schmidt.

4) *Deutsche Sprache:* Mündliche Redeübungen 1 St. im *S.* und *W.* Domprediger Heizer, Insp. schol. Geschichte der deutschen Litteratur 1 St. Conr. M. Schmidt. Deutsche Aufsätze, sowie im *S.* Allgem. Grammatik, im *W.* Lehre vom poetischen Stile 1 St. Subrector Dr. Liebaldt.

5) *Französische Sprache:* In Ideler's Handbuche der französischen Sprache, 1. Theil wurden die Abschnitte aus Pascal, Rochefoucauld, Sévigné, La Bruyère, Patru, Saint-Evremont, Fléchier gelesen und wöchentlich eine Uebersetzung aus dem Deutschen in das Französische geliefert, 2 St. Lector Goller.

#### 2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Im *S.* die Lehre von der Gnadenwahl, im *W.* von den göttlichen Gnadenwirkungen nach eignen Dictaten, 2 St. Dompred. u. Schulinsp. Heizer.

2) *Geschichte:* Im *S.* Röm. Geschichte bis zur Schlacht bei Actium, im *W.* Röm. Kaisergeschichte und Geschichte des Mittelalters bis zu den Kreuzzügen (nach Ellendt's Lehrbuche) 2 St. Subr. Dr. Liebaldt.

3) *Mathematik:* Fortsetzung der Stereometrie, die Eigenschaften der Ellipse in construirender Entwickelungsweise mit steter Berücksichtigung der correspondirenden Eigenschaften des Kreises, 2 St., Combinationslehre; der binomische Lehrsatz für rationale reelle Exponenten; die quadratischen Gleichungen mit Anwendungen auf die Geometrie, 2 St. Mathematikus Müller.

4) *Physik:* Fortsetzung der Lehre vom Gleichgewichte und der Bewegung der Körper, 2 St. Mathematikus Müller.

5) *Philosophische Propädeutik:* Denklehre (mit Disputirübungen verbunden) 1 St. Rector Dr. Foertsch.